



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis
Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum
Spirituale**

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

Append. Placendi studium nimium, & familiaritas particularis vitanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45885)

*in humana
nis, sed
in divi-
ni confi-
dere.*
tæ genitricis, ejus Mariæ, aliorūq;
Sanctorum intercessionibus, ac
piorum hominum orationibus
confidit. Omnem animi altitu-
dinem in se penitus deijcit ac pro-
terit: pauperem, parvum, atque
imbecillum se Deo exhibens.

*2. Exem-
plo Davi-
dico.*
Hominum de se judicia non
anxiè metuit: sui contemptu non
perturbatur.

*3. Reg.
6.*
Denique vilis potius quàm hu-
milis, & inutilis magis quàm san-
ctus haberi desiderat.

*1. Optat
vilis ha-
ber.*
Talis puer ille secundum cor
Domini, qui à superba Michol
spretus, & convitio præter me-
ritum exceptus, respondit: *Et lu-
dam, & vilior siam plusquam factus
sum, & ero humilis in oculis meis.*

DOCUMENTVM VIII.

Nec placere alijs studeas, nec displicere timeas. Familiaritates ne expetas.

ALICUT placere vanè non affectes, neque displicere inaniter pertimescas: & hominum, maximè mulierum, notitiam, familiaritatem, aut singularem erga te dilectionem ne expetas.

APPENDIX.

Placendi studium nimium, & familiaritas particularis vitanda.

1. Soli Deo placendum, & boni viri propter Deum
2. Omnium mulierum familiaritas fugienda.
3. Nullius persone, quantumvis sancte, præsentia anxie expetenda est.

VIR verè spiritualis omne verbum, omnemque gestum adulationis fugit: nec magnopere curat utrum placeat an displiceat hominibus: sed modis omnibus ad hoc laborat, ut Deo placere possit. Ita tamen vivere studet, ut bonis (quantum in se est) placeat. Qui si nonnunquam intentionem suam ad humanam complacentiam vitiosè declinare senserit, mox eam corrigit & revocat, unius Dei favore atque amicitia contentus.

Non solum impudicarum, verum etiam honestarum mulierum incauta nimiaque familiaritas multis sæpè obfuit, multis derrimentis purioris castimonie intulit, multos gravibus tentationibus involvit. Sapiens igitur est qui hujusmodi pericula vitat, & spreta omni carnali affectione, puritatis cordis servandæ se addicit, ac vultum mulieris curiosè contemplari refugit. Sapiens, inquam, est, qui pias feminas Deo commendat, & eas ac quoslibet homines circa illum, non circa se per singularem amorem occupari cupit.

Beatus item est, qui nullius præsentiam corporalem nimis anxie experit: & absentiam etiam illorum æquo animo propter Deum fert, quorum exemplis atque colloquijs plurimum spiritualis consolationis & adjumenti percipere posset.

Enchiridij Parvulorū. Liber 1^{us}

1. Placendū soli Deo, nec aliter nisi propter Deū.

2. Fugienda familiaritas nimia, maxima feminarū, etiam piarum.

3. Corporalis præsentia nullius est anxie nimis querenda.